



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres**

**Tylkowski, Wojciech**

**Oliva, 1686**

XXII. Quia est Mater communis omnium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

## 22. Quia est Mater communis omnium.

Id clarè professus B. Stanislaus Kostka rogatus, quo in eam ferretur affectu? ait Mater mea est. Certè ut Rupertus lib. 13. in Evang. Verè ibi (sub cruce) Virginis dolores ut parturientis, in passione Unigeniti omnium nostrum salutem B. Virgo peperit, planè omnium nostrum Mater est, ibi nos nati sumus in dolore, quem non habuit dum gigneret. Idcirco Tob. 4. sciamus scriptum esse: *Honorem habebis Matri tue omnibus diebus vite tue, memor enim esse debes, quæ & quanta pericula passa sit propter te.* Et idèd è cruce non ait Virgini Filius, Virgo ecce Filius tuus, sed mulier. Quod ut notat *Agustinus in thesau. lingue sacre*, vox *jsach*, Hebræis notat & uxorem & mulierem, ac si diceret: *Mei Filij sunt o tui, & quos ego gigno in cruce, recipe in tuos.* Evenitque simul quod *Isa. 47.* prodidit. *Venient tibi subito duo hæc sterilitas & viduitas.* Sterilis enim erat quia Virgo vidua, quia ibidem facta est quasi vidua Domina gentium, Syriacè Maria, Domina Filium amittens. In dolore profectò quia & Deus qui amictus est lumine sicut vestimento, instar hominum, qui præ dolore in morte charorum scindunt vestimèta, scidit velum templi desuper, & præterea *Matt. 27.* fecit ut tenebræ essent super universam terram. Adèd verò in hoc partu Virgo doluit, ut asserat *S. Anselm. lib. de excell. Virg. cap. 5.* Non crediderim te potuisse ullo pacto stimulos tanti cruciatùs dum Filius moreretur, quin vitam amitteres, sustinere; nisi spiritus dulcissimi Filij tui te intùs doceret &c. Quia quidquid crudelitatis inflictum est corporibus Martyrum, leve fuit, aut potius nihil comparatione tuæ passionis. *Ipsamet hæc D. Brigitta manifestavit lib. 2. Rev.* Qualem ipsa Virgo ait tristitiam haberem tum temporis, cum Filius moriebatur, non est qui valeat dicere, eram enim sicut mulier pariens, cujus omnia membra post partum tremula sunt. Jam si Mater non subtrahit ubera *Jerm. 4. Lacie nudaverunt manus suas, lacte verunt catulos suos*, quid illa pientissima Mater? Certè ut *Bernardinus Jerm. 11. art. 2. cap. 1. tom. 3.* Ab ipso Patre æterno B. Virgo recepit fontalem fecunditatem ad generandos omnes electos, etiam Angelos. *Guilielmus in Sigillo.* Per hoc quòd facta est Verbi Incarnati Mater corporalis, facta est membrorum ejus Mater spiritalis, per hoc quod caput nostrum secundum carnem concepit, membra ejus lacte pietatis alenda suscepit: habet ergò unicum quem pro tempore lacte corporeo nutrit, habet & gemellos, id est ex utroque sexu adoptatos, quos lacte pietatis nutrire non desinit. Sed illo gravior *Augustinus lib. de S. Virginit. cap. 6.* Hæc Mater est spiritu membrorum Salvatoris, quia cooperata est charitate, ut fideles in Ecclesia nascerentur, sicut olim *Abraham Pater gentium & Sara* *Isai. 51.*

Na 2

Mater,



Mater, ita Christus & Virgo. Ideoq; ut scripsit *S. Methodius in hypopante*. Tanquam legatum in testamento suo nobis (Christus Virginem) reliquit, cum in Joanne eam in Matrem nobis tradidit, cujus virtute, & precibus pœnæ innumeræ peccatorum conversiones fiunt. *Bonav. in spec. B. Virg. cap. 6.* Maria non solum est Mater Christi singularis, sed etiam Mater omnium fidelium univ. falis.

Alio modo hanc Maternitatem explicat *Guiliel. in Cant. 7.* Duo ubera tua sicut duo hinnuli gemelli capreæ, sicut magnus ille parvulus natus est nobis, id est ad salutem nostram, ad vitam nostram, ita etiam nutritus est nobis. Pariebat nobis Virgo Mater salutem, atque eo ipso pariebat nos ad salutem: sacro suo lacte nobis nutrebat vitam, atque eo ipso nutrebat nos ad vitam, pijs caput nostrum brachijs suspendebat ad ubera sua, & nos ad eadem in illo suspendebat, nec ille sibi nascebatur nec pascebatur, sed nobis, atque ideo nos in illo nascebamur, nos in illo pascebamur. *Idem in Cant. 6. inducit Christum Virgini loquentem.* Noli me aspiciere ô pia Mater ut olim, ut Mater, averte à me Maternos oculos, sed aspice velut Amica, & Sponsa, jam ascendi ad Patrem, habeant Materni illi oculi vacationem, sed à me: porro ad membra mea vacare illos nolo. Averte à me ad fratres, ad filios meos, nè claudas illos, sed averte à me; transfer Maternam pietatem à me, in meos. *Idem ibid.* In cruce pro salute hominum agonizans, unum tibi adoptavi Joannem dicens: *Mulier ecce filius tuus*: porro cum triumpho Resurrectionis ad Patrem ascendens, multos tibi vice mei adoptavi, & reliqui filios. *Mulier ecce Filij tui, quos diligas, & aptè confoveas.* *Et paulo post*: Avertas oculos illos tuos Maternos à me, ascendens in cœlum avolavi à te, ut à me in meos transferres teneritudinem Maternæ pietatis. Agnovit hanc Virginis Maternitatem qui illam sequentibus veneratur, ac cum Matre omnium Eva confert *Greg. Novat. serm. 2. de Annunt.* Ave immaculata Maria viduati orbis Sponsa simul, & Mater, ave quæ in utero matris Evæ nomen demersisti. *Et amplius Epiph. contra heres. 17.* Ut omnis hominum generatio ex prima illa, quæ primævam nobilitatem vitæ inobedientia infelicitè exorta est, sic vera vita quæ Deo secundum spiritum vivimus, per alteram Matrem, Mariam verè obedientem nobis perditis quasi restituitur. *Et paulo post.* Vetus Eva factus suos priusquam pareret, extinxit, nova potius quam mater appellanda: sed nova hæc Eva non morientium, sed reviviscentium Mater extitit. *Richard. à S. Laur. lib. 6. de laud. Virg.* Et si carnaliter genuit unicum Filium, in eo tamen specialiter Mater effecta est multitudinis filiorum, quorum primogenitus Christus. Undè signanter dictum est *Luc. 1.* Peperit Filium suum primogenitum. Sicut enim Eva dicta est Mater omnium viventium vitæ naturæ, sic Maria Mater omnium viventium vitæ gratiæ; ipsa



ipsa etiam propter hoc figurata est per Saram, quæ licet non nisi unicum filium carnaliter peperit Abraham, tamen mater dicta est totius populi Israëliti. Unde Isai. 55. dicitur Judæis. *Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram quæ peperit vos.* Aliter S. Anselm. id exponit lib. de excell. Virg. cap. 11. Beata Dei Genitrix Maria suis meritis cuncta reparando, Mater est, & Domina rerum: Deus enim Dominus omnium singula in sua natura, propriâ iussione constituendo, & Maria est Domina rerum singula congenitæ dignitati per illam quam meruit gratiam, restituendo. *Sed hoc ipsum in spem venit c. 1.* Si Maria propter peccatores scilicet propter me, mei que imiles facta est Dei Mater, cur non illam erga me Parentem sperabo? *Et cap. 12.* Cur itaque non iuvabis nos, atque eris Mater nostra, quando propter nos in tantam celsitudinem es elevata? ut te Dominam habeat, & veneretur omnis creatura. Et quam curam habuit, patuit Anno 1250. ut refert Vincent. in spec. hist. lib. 7. cap. 119. Adeo turbata fuit Ecclesia sede vacante, ut propter dissensionem Cardinalium in electione Pontificis, conclave duraverit annuum, & medium, in eo, qui postea Innocentius dictus IV. in Pontificem electus, vovit adhuc Cardinalis B. Virgini curaturum se celebrationem ejus Natalis (cujus nondum facta dies exstabat) si electio Pontificis eisdem consisteret, & pacatè, quod voto illo edito, statim consecutus. *Bonav. spec. cap. 8.* Maria non solum est Mater Christi singularis, sed etiam Mater omnium fidelium universalis. Unde B. Ambros. ait. Si Christus est credentium Pater? cur non ipsa quæ genuit Christum credentium sit Mater? Charissimi omnes nunc gaudeamus, nunc omnes gaudento dicamus: Benedictus Frater, per quem Maria est Mater nostra, & benedicta Mater, per quam Christus est noster Frater. Cum Anselmo, Domina Mater, per quam talem Fratrem habemus, quid gratiarum, quid laudis tibi retribuemus? *Bernardin. initium huius Maternitati assignat tom. 3. serm. 6. art. 2. cap. 2.* Virgo per consensum in Incarnationem Filii, omnium electorum salutem viscerosissimè expetiit, & procuravit, & omnium saluti & salvationi per hunc consensum se singularissimè dedicavit, ita, ut extunc omnes in suis visceribus bajularet, tanquam verissima Mater filios suos. *S. Anton. 4. p. tit. 15. cap. 2.* Sicut Christus nos genuit verbo veritatis ad esse gratiæ spirituale in cruce patiendo, ita & Virgo Maria nos genuit, & peperit in maximis doloribus Filio compatiendo, pœnas immensas pro nobis patienti. Ita exponit Albert. M. illud Isai. ult. Parturivit Sion filios suos, id est B. Virgo quæ speculabatur mysterium passionis (Sion enim speculatio interpretatur) parturivit summè condolendo in passione Filii. *Et cap. 14. par. 3. ad Angelos extendit.* Quoniam quidquid est causa cause, causa etiam cenletur causati, sed Angeli illuminationem, perfectionem,



nem, & beatificationem recipiunt à JESU, per quem omnia restaurantur in coelo, & in terra: ergo Maria quæ est Mater JESU, causa est aliquomodo gloriæ Angelorum, ut aperte dicatur Mater eorum.

### 23. Quia est Solamen agonizantium.

Non frustra Christus sine Matre mori noluit, hæc illi adfistere morienti debuit, ut nobis exemplar esset. Non frustra Ecclesia latina orat: *Tu nos ab hoste protege, & mortuâ horâ suscipe. Iter para tutum.* Illa enim est *Virgo*, quâ Moyses mare rubrum percutiens, iter populo per mare illud ex Ægypto in terram promissionis paranti aperuit. Ejus gratiam orat *Ephrem in lament. B. Virginis.* O Virgo esto ergo nostra Conciliatrix & Advocata in hora mortis atque judicii, nosque à futuro inextinguibili igne, & tenebris exterioribus libera, & Filij tui gloria nos dignare ò Virgo & Mater dulcissima & clementissima! *Adfuit Carolo Filio S. Brigitiæ, ut lib. 7. Revelat. ipsa suam patefacit operam.* Ego steti propè eundem filium tuum Carolum, paulò antequàm emisit spiritum, ut carnalem amorem non sic memoriâ haberet, quòd propter eum aliquid Deo contrarium cogitaret, vel loqueretur, nec aliqua Deo placencia vellet ommittere, neque illa quæ possent esse quomodo libet Divinæ voluntati contraria vellet perficere ad animæ suæ nocumentum: ego etiam taliter juvi eum in illo arcto spatio, id est exitu animæ suæ à corpore, ut non tam duram pœnam sustineret in morte, quòd ex ea inconstans fieri posset aliquantisper desperando, & nè Deum in morte oblivisceretur: Ego etiam custodivi animam ab ipsis immortalibus inimicis, id est dæmonibus, quòd nullus eorum tangere posset, sed statim cùm egressa fuit à corpore, accepi eam in meam custodiam ac defensionem, quo facto turba dæmonum festinanter fugit, & recessit, quæ ex sua malitia cupiebat eam deglutire, & æternaliter cruciare. Sic in ecclesiâ Zodiaci Virgo inter Libram posita & Leonem, ut nimirum cùm in hora mortis Leonem de tribu Juda libram respicientem justitiæ habuerimus, Virginem ut Advocatam, ut Mediaticem inveniamus. Et facit hoc munus. *Sur. 15. Aug. de S. Adulpho Episcopo Suevoniæ.* Beata Virgo hunc clientem suâ præsentia in morte exhibuit, ejus animam ad superos abituram prædicens: similiter affuit Adulpho Francicano ex Alsatia Principe, & solata his: Quid times fili, aut cur ob imminentem mortem angeris? Veni securus quoniam Filius meus cui fideliter servivisti, dabit tibi coronam gloriæ. Non dispari solatio & Radbodum Episc. Trajectensem ut *Sur. 29. Novemb.* replevit. Nè timeas Radbode, certus eam te intueri, cui supplices offers preces, non ego te meâ dedignor consolari præsentia, qui in